

tamen reliquos videtur. Cultos enim hortos fuisse ob doctrinæ & morū formationem, superius diximus. At vero quo nomine hunc appellabim⁹ usum? Scholasticū eum dicimus, & moralē, si pari hic termino, quo antea, uti licet. Dari verò hunc hortorū usum, probari facile potest. Ne enim longius abeamus, ex nostratibus nemo erit, qui ignoraverit, ab Illustrissimis Ducib⁹ Saxonix, Nutriciis nostris Clementissimis, erectum academicū nostrum & servatū hactenus fuisse eā finī, ut ibi Floræ & Botanices Studiofis herbarū notitia explicaretur & olerum: quod equidem antequā vehementior aura & frigidus jupiter id prohiberet, in horto Collegio contiguo felicissimè præstitit *Vir Excellentissimus Dn. Johannes Arnoldus Friderici, Chirurgia & Botanices PP. longè celeberrimus, Dn. Patronus & Fautor noster observantissimè colendus*, dum publicas in eo instituit superiori ætate lectiones. Alibi quin idem fiat, nulli dubitamus. Sed quoniā major antiquitatis veneratio est, quā eorū, quæ ante pedes sunt, placet ex nostra ætate in aliorum temporum memoriā abire. Nulli sanè lubentius, frequentius nulli, quā in hortis suis antiquissimi Philosophi commorabantur; Ibi studiis operā dabant, docebant ibi, ibi varia seræ posteritati opera elaborabant. Sic *Plato* depugnata triplici pugna & potitus victoriā, à gloriā militari ad philosophiæ labores redibat, hortuloq; empto in Academia loco suburbano Scholam aperuit, discipulos collegit, ibique opera elaboravit, quæ omnis posteritas admirata est, & semper tanquam *Σείος* venerabitur. *Epicurus* itidem scholas & conventum suum in hortis habuit, ubi philosophabatur. *Pythagoras, Aristoteles, Theophrastus, Xenophon, Athenæus, Hippocrates, Dioscorides Galenus, Plini⁹* & nescio quis non ex antiquissimis Philosophis ob eundē finē hortos colere, plantavere, conservere, propagavere. Ex recentiorib⁹ verò *Franciscus Petrarca* in occlusæ vallis, *Marsilius Ficinus* in veteris montis *Picus Mirandulanus* & *Angelus Politianus* in Fessulanis hortis degabant suavissimè. Quid igitur mirū, tot prodivisse ex hortis fructus?

§. XXI.

Romani quoque non floram magis quam Minervam in hortis colebant. Habebant enim illi sua suburbana, ubi se ceu in alto pinguique secessu studiis adseriebant. Unde sæpe Laurentinum suum laudare Plinium, Epistolas ejus, quibus juxta Ciceronis proxima